



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Clementis XII. ab Anno V. usque ad X.

Luxemburgi, 1748

CLXXIX. Religiosi Congregationis MOnachorum Silvestrinorum Ordinis S.
Benedicti non possunt recurrere ad Tribunalia nisi prævia appellatione ab
Abbate MMonasterii ab Abbatem Generalem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75393)

CLXXIX.

Religiosi Congregationis Monachorum Silvestrinorum Ordinis S. Benedicti non possunt recurrere ad Tribunalia, nisi pravia appellatione ab Abbate Monasterii ad Abbatem Generalem.

C L E M E N S P P . X I I .

Ad futuram rei memoriam.

Procurator Generalis Ordinis supplicat decessu gradus appellationum.

§. 1. **E**Xponi nobis nuper fecit dilectus filius Benedictus Biancini Procurator Generalis Congregationis Monachorum Silvestrinorum nuncupatorum Ordinis S. Benedicti, quod cum ad conservandam regularis disciplinae integritatem, debitamque Religiosorum erga suos Superiores obedientiam, & subjectionem per plures nostras in simili forma brevis literas in diversis ordinibus Regularibus modum imposuerimus appellationibus, ac recursibus subditorum adversus gravamina, quae sibi a suis Praelatis illata esse identidem contendebant, dictus Benedictus Procurator Generalis id ipsum quoque in praefata Congregatione Monachorum statui, ac exacte imposterum servari plurimum desideret.

Pontifex statuit a gravamine Abbatis recursum ad Abbatem Generalem.

§. 2. Nos ejusdem Benedicti Procuratoris Generalis desiderio hac in re, quantum cum Domino possumus obsecundare volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existeret ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, auctoritate Apostolica tenore praesentium statuimus, & ordinamus, quod nullus dictae Congregationis Monachus, aliave persona cujusvis gradus, dignitatis, & conditionis existat, in casibus, in quibus de jure, vel juxta Constitutiones praefatae Congregationis appellare, aut recurrere licet, id aliter deinceps facere valeat, quam gradatim, ab immediato nimirum suo Superiore, ad Abbatem Generalem praefatae Congregationis, ita ut causa appellationis, vel recursus hujusmodi antequam ab eodem Abbate Generali cognita, & diffinita fuerint, extra dictam Congregationem deferri, & agitari nequeant.

Judicibus eos cognoscendi facultatem admittit, nisi prius eis constiterit, recurrendum fuisse ad eundem Abbatem.

§. 3. Ac propterea omnibus, & singulis Romanae Curiae Tribunalibus, ac Judicibus, & quibusvis, etiam S. R. E. Cardinalium Congregationibus, nec non Sedis Apostolicae Nunciis nunc, & pro tempore existentibus, ne Monachorum, ac personarum dictae Congregationis appellationes, aut recursus admittant, causasque praedictas cognoscant, nisi prius sibi legitime constiterit, illas per dictum Abbatem Generalem prius cognitatas, & diffinitas fuisse sub poena nullitatis actorum, ac inde secutorum, & quoad Religiosos appellantes, vel recurrentes, qui praemissis contraverint, sub gravibus nostro, & Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio infligendis poenis, eadem auctoritate tenore praesentium prohibemus.

Praesentium literarum firmitas.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quo-

quam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Congregationis Monachorum praefatorum, etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes; illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis, quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earundem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus ubique tam in Judicio, quam extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Dar. Romae apud S. Mariam Majorem sub Anno Piscatoris die 4. Maii 1736. Pont. nostri Anno VI.

F. Card. Oliverius.

Obstantium derogatio.

Transumptis danda fides.

Dat. die 4. Maii 1736. An. VI.

Indulgentiae alias docentibus, & Adultis discantibus Doctrinam Christianam in Urbe, Italia, Insulaeque adjacentibus concessae ad universos Christianos ubique locorum existentes extenduntur.

C L E M E N S P P . X I I .

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis Officii, quo Catholica Ecclesia regimini Divina dispositione praesidemus, debitum exigit, ut ad ea potissimum curam, & sollicitudinem nostram intendamus, quae ad augendam fidelium religionem, & animarum salutem in primis conducere in Domino conspiciamus.

§. 1. Alias siquidem uberes fructus, ac spiritualium Christianorum aedificationem, quae ex assiduo usu, & explicatione Catechismi sive Doctrinae Christianae provenire noscebantur, paternae dirigentes considerationis Nostrae intuitum, diversas Ordinationes a nonnullis Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris ad promovendum hoc pium, & fidei populo adeo necessarium opus, quo ille fidei Catholicae rudimentis, ac mysteriis, Christianisque virtutibus instruitur, salubriter editas, per editum die 15. Novembris 1730. jussu nostro promulgatum confirmavimus, ac etiam ampliavimus, & subinde Christianos tam Almae Urbis nostrae, quam universae Italiae, ac Insularum adjacentium pro tempore existentes, ut operae hujusmodi ferventius incumbere, excitare volentes, omnes, & singulas Indulgentias & peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes, quae a quibusvis Romanis Pontificibus Praedecessoribus quoque nostris praefatum Catechismum, seu Doctrinam Christianam juxta decreta Concilii Tridentini in Ecclesiis, & Oratoriis Pueris docentibus, aut eidem, dum traditur, interessentibus, eatenus concessa reperiebantur, ad Adultos Urbis, Italiae, & Insularum praedictarum ipsi Catechismo, seu Doctrinae Christianae interessentes extendimus.

§. 2. Praeterea eisdem Adultis, qui vere poenitentes, & confessi, ac Sacra Communione refectioni, ejusmodi pio exercitio devote intervenirent, qua vice id agerent, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomo-

CLXXX.

Exordium.

Hic Pontifex Indulgentias Doctrinam Christianam edocentibus, & addiscantibus in Urbe concessas, ad Italiam, Insulaeque adjacentes extendit.

Alias superaddidit Indulgentias.